

tis, in hominem demigrasse et rursum, quae erant humanitatis, in Deum esse transfusa, vt quod nulla vnquam haeresis dicere ausa est, videatur hac confusione vtraque exinanita substantia, deitatis scilicet et humanitatis et a proprio statu in aliud esse mutata, qui tam Deum imperfectum in Filio, quam hominem confitentur, vt nec Deum verum nec hominem tenere credantur. Nos autem dicimus susceptum ita a Dei Filio passibile nostrum, vt deitas impassibilis permaneret: Passus est enim Dei Filius non putatiue, sed vere omnia, quae scriptura testatur, id est esuriem, sitim, lassitudinem, dolorem, mortem et caetera huiusmodi. Secundum illud passus est, quod pati poterat, id est non secundum illam substantiam, quae assumpsit, sed secundum illam, quae assumpta est. Ipse enim Dei Filius secundum suam deitatem impassibilis est vt Pater, incomprehensibilis vt Pater, inuisibilis vt Pater, inconuertibilis vt Pater. Et quamuis propria persona Filij, id est Dei Verbum, suscepit passibilem hominem, ita tamen eius habitatione secundum suam substantiam deitas Verbi nihil passa est vt tota Trinitas, quam impassibilem confiteri necesse est. Mortuus est ergo Dei Filius secundum scripturas iuxta illud, quod mori poterat, resurrexit tertia die, ascendit in coelum, sedet ad dexteram Dei Patris, manente ea natura carnis, in qua natus et passus est, in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata et in aeternum cum deitate mansura. Accepta ergo a Patre omnium potestate, quae in coelo sunt et in terra, venturus est ad iudicium viuorum et mortuorum, vt et iustos [53r:] remuneret et puniat peccatores, resurrectionem etiam carnis confitemur et credimus, vt dicamus nos in eadem, in qua nunc sumus, veritate membrorum esse reparandos, qualesque semel post resurrectionem fuimus effecti, in perpetuum permansuros etc. Haec fides est, quam in ecclesia didicimus quamque semper tenuimus et tenemus^{f-238} etc.

^f „Also bekennen wir in Christo eine einige Person des Sons, das wir gleichwol zwey volkômliche wesen in jm erkennen, nemlich die Gottheit vnd die Menschheit, welche Leib vnd Seel hat. Vnd gleichwie wir Photinum verdammen, welcher Christum fur einen blossen Menschen hielt, also verwerffen wir Apollinaris meinung vnd seinesgleichen, welche sagen, das der Son Gottes nicht die gantze Menschliche Natur hab angenommen vnd sey entweder nach dem Leibe oder nach der Seelen oder nach dem Sinn vnd bewegungen vngleich gewesen denen, vmb welcher willen er Mensch worden ist. Dargegen aber bekennen wir, das er vns durchaus gleich gewesen sey, ausgenommen die Sünde, welche auch in vnser Natur nicht geschaffen ist. Wir verfluchen auch die lesterung derer, welche auff eine neue weise sich vnterstehen furzugeben, das von der zeit der Menschwerdung an alles, was der Gottheit eigen ist,

^{f-f} Nicht in A, B.

²³⁸ Libellus fidei Pelagii ad Innocentium 4–6.14, in: PL 45, 1717f. Diese Schrift war im 16. Jahrhundert in den Schriften des Hieronymus unter dem Namen „Explanatio Symboli ad Damasum“ zu finden. Vgl. Erasmus von Rotterdam (Hg.), Hieronymus. Bd. 4, 98.